



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt XII. Nihil id facere pro libertate credendi quod libuerit, quia suo quisque periculo credit, vel non credit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

CAPVT XII.

*Nihil id facere pro libertate credendi quod libuerit,
quia suo quisque periculo credit, vel non credit.*

BELLA sunt quæ sequuntur: [Iam & cuius, inquit, suum discrimen & periculum in hoc situm est, quomodo credat. sibi enim videndum est, ut rectè credat. Ut enim nemo potest pro te venire vel in cælum, vel in orcum: sic nemo credere potest pro te, aut non credere.] Totidem dixisses verbis: Suum cuique periculum & discrimen est in hoc situm, quomodo viuat. sibi enim videndum est ut rectè viuat, nec alius pro alio viuere rectè potest: quia secundum Apostoli sententiam, unusquisque onus suum portabit, & referet quisque non solum secundum ea quæ credidit, verum etiam secundum ea quæ gessit in corpore suo. Tu iam quid colligis? nemo ergo, inquis, ad fidem cogendus, nemini imperanda religio. Quare & ego similiter, cum te ad id habeam ducem, nemo ergo, si malè viuat, cogendus bene viuere, nemini, ut à sceleribus abstineat, ut falsum testimonium nullum dicat, non peieret, non blasphemet imperandum. Et, [Ut in nobilius potestate est, inquis, tibi cælum & inferos claudere vel aperire: sic nemo te ad fidem vel infidelitatem cogere potest.] Nemo ergo, inquam, etiam ad restitutionem alieni cogere quemquam poterit, aut à carcere cohibere, ne vel cælum aperiat restituenti, vel inferos claudantur innoxio, aperiendi homicidæ. Est interim verum, neminem cogi posse eò, ut credat etiam iniustus, & cælum cum nolit, ingrediatur: eo quòd simul et per rerum naturam consistere nequeant. vsque adeò ut nec Deus quidem ipse sic cogere quemquam possit ad fidem; quem cælum aperire posse, non es, ut arbitror, negaturus. Sed sicut aperitur quibusdam cælum iniustus, non ut iniusti cælum intrent, sed quia ex iniustis

fitis iusti fiunt, vt possint intrare: sic quidam coguntur ad fidem, non vt credant etiam inuoluntarij, quod fieri non potest: sed vt coactione vexati, ipsa que vexatione intellectum dante immutati, fidem aliquando voluntarij suscipiant, quam prius respuebant.

CAPVT XIII.

Nihil facere pro dicta credendi libertate, quod fides Dei sit opus.

QVID enim addis, fidem esse diuinum opus in Spiritu sancto, ideoque humana vi effici & exprimi non posse: tale est, vt si diceres, fidem esse Dei donum in Spiritu sancto, & ideo hominum prædicatione, correptione, miraculis exprimi non posse. Nam vt hæc sine diuinæ gratiæ concursu nihil profunt, ad inducendam aut conseruandam fidem: sæpe tamen eò conferunt, cùm ad plantatoris ministerium, supernæ irrorationis accesserit incrementum. Dicebant & hoc Pelagiani hæretici, neminem fore corripiendum atque obiurgandum, quia deliquisset, si Dei donum esset respicientia aut perseuerantia. quibus respondens Augustinus: Nemo, inquit, dicat non esse corripiendum, qui exorbitat de via iusta, sed ei reditum & perseuerantiam à Domino tantùm esse poscendam: nemo prudens & fidelis hoc dicat. Si enim secundùm propositum vocatus est iste, proculdubio illi etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Vtrùm autem sic sit vocatus, quoniam qui corripit, nescit: faciat ipse cum charitate, quod scit esse faciendum. scit enim talem corripiendum, facturo Deo, aut ad misericordiam aut ad iudicium. Misericordiam quidem, si à massa perditionis, ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est, & non est inter vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ, quæ præparauit

*Lib. de correptione
& gratia c. 10*